



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCCXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

quantitas: ita ut hinc in constituenda quantitate legati inquirendum sit, quanta fuerit illa pensio, quæ deleta dicitur. Secundò, quòd huiusmodi deletio, uti ex proposito facto apparet, non fuerit vera & propria semel assignati stipendii revocatio; sed tantum suspensio temporalis; eaque adhuc conditionalis, pendens ab arbitrio & discretione testatrix; prout causa longioris absentia ei vel probarentur, vel improbarentur. Et quamvis huiusmodi approbatio secuta non fuerit; nocere tamen id non debet: ob id, quod ex morte D. testatrix præcepta fuerit D. Thomæ occasio docendi de iustitia & probabilitate suæ absentia. * Cujus excusationis faciendæ potestas, ne in damno versetur, & ex legitima absentia laudatur, etiam nunc D. Thomæ permittenda est, d. l. 3. §. si ad diem, d. l. si cui §. tam diu Ex quib. caus. maiores &c. Aliorum itaque præconulentium resolutioni, quam per præmissa amplificamus, adherentes; existimamus bono jure subnixam esse petitionem D. Thomæ, quoad prædictum legatum.

De Testamentis.

S. V. M. M. A. R. I. V. M.

Legatum Ecclesiæ.

1. Monachus an sit idoneus testis in testamento.
2. Testibus instrumentariis, an instrumentum standum sit.
3. Legatum Ecclesiæ cui debeatur.

CONSILIUM CCCCXIV.

EXTRA dubitationem est intentio Domini Pastoris, & Custodis Parochialis Ecclesiæ de Outheverle, Agentium, contra Mamburnos seu Magistros fabricæ ejusdem Ecclesiæ, Opponentes, ad adjudicationem sextarii, seu duorum halstariorum frumenti: quippe fundata in claro & liquido Notariali instrumento per D. Ægidium Nobenum Notarium publicum confecto, & in formam redacto; quod dicti Opponentes bonâ fide ambulando apertè recognoverunt; recognitâ etiam dicti D. Ægidii qualitate Notariali. * Quo quidem instrumento continetur testamentum, seu ultima voluntas, quod seu quam Ægidius Mathys Parochianus dicti loci de Outheverle in pestilenti morbo, ex quo etiam decessit, condidit, & nuncupavit in præsentia dicti Domini Ægidii Notarii, adhibitis & rogatis ad hoc Fratrem Wilhelmo Loys, F. Ludoco Wolff, & F. Ioanne van Berthem, cum Patre Monasterii Cellitarum Oppidi Lovanienfis: qui etsi sint Monachi (qui in multis juris partibus servis assimilantur) ex receptiore tamen Interpretum sententia testamentis & ultimis voluntatibus testes adhiberi possunt, *lason in l. Hac consultiſſima C. De testam. cum nūquam inveniatur eorum testimonium prohibitum, Glossa in verb. cogitandum, in Authent. de Monach. Pres. Viglius in §. testes autem, nu. 12. Inst. De testam. ordinan.* Prout etiam dicti Opponentes ex ea parte hoc testamentum seu legatum non oppugnant, sed perinde, ut Actores, illud asserunt; tundantes ex eo contrariam suam conclusionem, quâ contendunt sibi adjudicandam, & illius dispensationem permittendam esse;

sub prætextu, quòd aliter per dictum testatorem dictum seu nuncupatum fuerit, quàm per Notarium scriptum; hoc est quòd dictus testator prædictum sextarium legaverit prædictæ Ecclesiæ ad faciendum anniversarium pro salute animæ suæ, necnon uxoris suæ; non verò, ut Actores prætendunt, & scriptura dicti instrumenti apertè continet, legaverit Pastori & Custodi dictæ Ecclesiæ pro prædicto anniversario; ideoque sequendum esse non quòd scriptum, sed quòd nuncupatum fuit, *l. Errore C. De testam.* Caterùm ea in parte probatione desistuntur Opponentes, nec ex testimoniis, quæ super hoc recepta sunt, id probatum invenitur; sed potius contrarium in conformitatem scripturæ dicti testamenti. Nam præfatus Frater Wilhelmus Loys apertè testificatur, testatorem dixisse, quòd sextarium legaret dictæ Ecclesiæ pro Pastore & Custode pro anniversario celebrando, pro sua & uxoris suæ anima. Et quamvis dictus Frater sudocus Wolff deponat, testatorem dixisse, Ego lego Ecclesiæ sextarium frumenti pro meo, & uxoris meæ anniversario, non nominando Custodem aut Pastorem; postea tamen subicit, quòd se referat ad ea, quæ dictus Notarius tunc scripsit; per hoc satis memoriæ suæ labilitatem significando, non contra tenorem dicti testamenti præcisè deponendo. * Cum alioqui uno solo teste instrumentario tenori instrumenti contradicente, alio teste, seu aliis testibus adhibitis cum eodem tenore concordantibus, standum omninò sit ipsi instrumento publico, non uni soli testi contradicenti, *Dott. in c. Cum Ioannes De fide instrum. & de eo neminem dubitare scribit Iacobus Menochius, de arbit. iudic. quæst. lib. 2. cent. 2. casu 105. nu. 36.*

Sed etsi constaret testatorem legasse hoc sextarium Ecclesiæ de Outheverle, non possent Opponentes illud, aut illius dispensationem seu distributionem sibi vindicare: quia legatum non posset dici fabricæ Ecclesiæ, cujus solius, non etiam ipsius Ecclesiæ simpliciter & universaliter Mamburni & Magistri sunt dicti Opponentes; ut formaliter etiam allegaverunt: legatum autem & relictum Ecclesiæ simpliciter, non illius fabricæ debetur, sed ejus Rectori, *Paul. Parisius cons. 50. Testamentum nu. 25. vol. 2. Ruinus vol. 2. consil. 202. Viso testamento; qui Ecclesiæ proprietatem habere dicitur, Panor. in c. Cum super nu. 20. in fine De caus. poss. & propriet.* Nam quod templo legatur, jure proprietatis apud templum manet; utilitas verò & ministerium illius ei debetur, qui illius sacerdos seu Rector est, *Elegans rex. in l. Annua §. Arria De annuis leg. can. Pontifices xii. q. 3.* Quod ipsum proclivius hinc dicendum est ex fine hujus legati, quod scriptum est pro dicto anniversario celebrando: in cujus celebratione nulla possunt esse partes dictorum Mamburnorum seu Magistrorum dictæ fabricæ; sed tantum Pastoris & Custodis. Ita ut ex fine, & destinatione hujus legati, indubitatum sit, testatorem voluisse id pertinere ad Pastorem & Custodem; nullasque ob id in eo esse partes dictorum Magistrorum, qui ambitiosius illius dispensationem sibi usurpare videntur. Ideoque partes Venerabilis Domini Officialis sunt in adjudicando hoc legato Actoribus hujus

huius causæ; & declarando præfatis Opponentibus nullum jus dispensationis competere; condemnando eosdem Opponentes in omnibus expensis huius litis.

De Testamentis.

S V M M A R I V M.

Legatum altari relictum.

1. Altari relictum, cui debeat.
2. Præscriptio quadragenaria requiritur adversus Ecclesiam.
3. Præscriptio quadragenaria contra Ecclesiam debet esse completa usque ad ultimum diem inclusive.
4. Præscriptio quadragenaria contra Ecclesiam per solam citationem interruptitur.

CONSILIVM CCCCXV.

DE qualitate Actoris nihil dubitandum in causa M. Guilielmi Gregorii Actoris, contra D. Nicolaum Perbeys Reum. Nam etsi Reus allegationem Actoris, quod sit & fuerit Rector Altaris SS. Antonii ac Sebastiani in Parochiali Ecclesia de Limale negaverit: est tamen ea sufficientissime probata per litteras canonicæ institutionis, & obtentæ possessionis; quarum literarum auctoritatem, ac veritatem Reus tandem agnovit: ita ut bene sit stabilitum primum fundamentum intentionis partis agentis petendi quatuor modios testamenti quondam D. Georgii Deylleren relictos, pro una missa hebdomadali celebranda in dicto Altari S. Antonii; * & contra improbabili oppositio Rei, dum ex capite Pastoris dictæ Ecclesiæ (cujus vicarium agere se dicit) contendit facultatem celebrandi huiusmodi missam, ac percipiendi dictos quatuor modios ad se pertinere, qui prædicto altari relictæ sunt, hoc est intuitu dicti altaris: quia nomen illius proprium expressum est, *argum. l. si communis De stipul. servor. & causa legati, non nuda demonstratio est, sed altari coheret, l. cum tale §. falsa De condit. & demonstr. quia missam ibidem pro anima testatoris celebrari mandatum est. Quamvis enim dum altari, quod est in Ecclesia, aliquid simpliciter legatur, emolumentum legati cedit, non Rectori altaris, sed Pastori, seu Curato Ecclesiæ, Panor. in c. 1. De success. ab intest. Petrus de Perusio in tract. de quarta Episc. c. 7. versic. quid si testator: cum tamen altare habet bona distincta ab ipsa Ecclesia, seu bonis Ecclesiæ; & cum altare in titulum perpetui beneficii erectum est, & qui altare habet in eo per Archidiaconum seu Superiorem institutus est in Rectorem, seu curatorem perpetuum altaris, Bald. cons. 196. Super eo quod quaritur nu. 3. vol. 4. relictum altari cedit in augmentum fructuum altaris: quasi altari, cum exclusione Ecclesiæ, seu Rectoris Ecclesiæ, relictum, Felin. in c. Ex parte 2. nu. 4. De re script. & in c. Dilectus nu. 3. De off. ordin. Id quod voluisse testatorem deprehenditur ex eo, quod testator paulo ante speciale legatum pro anniversario, Curato Ecclesiæ adscripserit: ita ut non sit verosimile, quod facultatem celebrandi hanc missam & percipiendi quatuor modios, eidem Curato voluerit adscribere: cum disertè altaris S. Antonii meminerit, Conf. Wamcf. Tom. II.*

& in eo hanc missam celebrari voluerit. Quod autem hoc altare sit proprium ac perpetuum titulum beneficium, constat ex instrumentis pro parte Actoris exhibitis: & quod propria ac destinata habeat bona, inde constat, quod Reus alleget hoc altare Archidiacono singulis annis rescribi ad quinque modios. Quæ fortè etiam causa fuit, cur testator alios quatuor modios adjecerit pro augmento fructuum. Quæ quidem rescriptio Actori obesse non debet: nam ea rescriptio antiquam formam retinet, quæ per novum augmentum ideo mutata seu aucta non fuit, quod Rectores dicti altaris suâ simplicitate, & juris, ac fortè etiam facti, hoc est scripti testamenti ignorantia, hanc facultatem celebrandi, & missas faciendi non exerceverint: quam Pastores, seu Vicarii, sine titulo, & contra testatoris voluntatem usurpando, non potuerunt Rectoribus huius altaris, saltem non in futurum nocere, & altari jus suum auferre; * tum quod à die conditi testamenti nondum fuerint ante institutam hanc litem lapsi 40. anni (scriptum enim est & publicatum hoc testamentum anno 1523. undecima Maii, & lis hæc cœpta mense Augusto, anno 1562.) sic ut ad implementum quadragenariæ præscriptionis novem menses defuerint: quâ quadragenariæ præscriptione opus est, ad excludendam Ecclesiam à prosecutione juris, vel rei suæ; non tantum si privatus contra Ecclesiam, verum etiam si Ecclesia contra Ecclesiam præscribat, c. De quarta, c. Ad aures De præscript. Franc. Balbus de præscript. quintæ partis princip. part. 1. in princ. * Quam quadragenariam præscriptionem oportet usque ad ultimam diem ex toto esse completam; sic ut nec ultima dies accepta pro completa habeatur; quia odiosa est, Gloss. in l. In usucapionibus De diver. & temp. præscript. & in l. 3. §. minorem De minorib. * quam propterea sufficit etiam per solam citationem interrupti, quoties ab initio sine titulo aut mala fide cœpta fuit, l. Cum notissimi in princ. & §. imò C. De præscript. 30. vel 40. annor. Ius. in l. fin. in princ. De eo per quem fac. erit, Bald. cons. 211. Casus talis si interfuerit vol. 1. Cum alioqui in subiecto casu non constet, quo tempore testator mortuus sit, & quamdiu, seu à quo tempore Pastores de Limale hoc jus celebrandi ac percipiendi usurpare incœperint: sic ut ad sustinendam huiusmodi rei exceptionem præscriptionis, nihil solidi in his actis inveniat. De mala autem fide, aut saltem defectu tituli, inde constat, quod aliquis alius titulus, quam testamentum prædictum à Reo non proferatur: is autem titulus, quoad Reum seu Curatum Ecclesiæ de Limale nullus sit; quia ut deductum est, titulus legati ex prædicto testamento ad altare S. Antonii, seu ejus Rectorem pertinet, & minime ad Pastorem. Proinde existimo partes Domini Iudicis esse, ut declaret facultatem celebrandi hanc missam, eoque nomine percipiendi quatuor modios, ad Actorem in qualitate, quâ agit pertinere; & Reum ad perceptorum modiorum, saltem ab interrupta hac præscriptione, restitutionem, simul & in expensis litis condemnnet.